

§. 2. De eô autem sub initium hujus seculi magna fuit controversia, an, quod primum quæstionis membrum attinet, in electione & vocatione ministrorum ecclesiæ ministerium sit excludendum, quod facere tentavit Senatus urbis cujusdam præcipuæ, qui existimavit ad se solum eam pertinere tanquam Magistratum, quod paulò post defendere etiam conati sunt quidam principis alicujus subditi, nixi imprimis jure Patronatus, quod eo usque extenderunt, ut exclusum voluerint ministerium ecclesiasticum, quando eligendus & vocandus fuit novus ecclesiæ minister.

§. 3. Hic igitur ministris ecclesiæ cognitu necessaria sint solida fundamenta, quæ tale quid tentantibus opponant: talia sunt (1) quod Christus totæ ecclesiæ concessit potestatem clavium, peccata remittendi & retinendi: hanc potestatem verò tota ecclesia exercere non potest. Ergo tota ecclesia constituere debet aliquos, per quos hoc jus & potestatem exercent, nempe ministros ecclesiæ, qui proinde non tantum à Magistratu, sed à tota ecclesia sunt eligendi, & consequenter etiam à ministerio ecclesiastico.

§. 4. (2) In primitivâ Ecclesiâ tantum abest, ut Apostoli tanquam ministri ecclesiæ fuerint exclusi ab eligendis ecclesiæ ministris, ut potius totum electionis negotium direxerint, ceu patet ex Act. I. 15. 21. ubi Petrus, cum in locum Judæ surrogandus esset alius, totum hoc negotium direxit, & hanc causam communitati proposuit: quæ verba non de Primatu Petri accipienda esse, ut Bell. l. 1. de P. R. c. 12 contendit, optime monent Theophyl. in h. l. *consideranda est, inquit, sapiens Petri moderatio, non vindicantis sibi auctoritatem, & potestatem, sed volentis esse communem deliberationem*: hortatur enim fratres, ut alium eligant in locum Judæ. Ex hoc exemplo patet, quod etiam successores Apostolorum ab electione ministrorum non sint excludendi, sed imprimis audiendi illi, qui ad ministerium spectant.

§. 5. (3) Paulus & Barnabas, qui ad ministerium illius temporis spectabant, dicuntur suffragiis creasse per singulas civitates bresbyteros, Act. IV. 23. ubi sane Apostolorum votum non fuit exclusum, sed totum potius negotium direxerunt: idem patet ex Act. XV. 22. ubi consensu Apostolorum, Seniorum & totius ecclesiæ delecti quidam dicuntur, ut cum Paulo & Barnabâ Antiochiam mitterentur.

§. 6. (4) Post obitum Apostolorum eorumque discipulorum, ecclesia & Imperatores Christiani primas detulerunt in electione ministro-

stro-